









1714

1. Charinus, Iohannes Balthasar: *Iconesque figuris  
Bombyce equestri.*
2. Behrke, Michael: *De corona regis Prussiae  
ejus significativa heraldica, origine et iuribus  
majestatis circa Sacra.*
- 3<sup>1-2</sup>. Olearius, I.-Iacobi: *De biographia antiquorum  
Fetorum.*
4. Rohde, Iu. Laurentius: *De locis veterum Lacubra-  
tricis*
5. Stanislaus, Paul: *De cibis auctoritate juriis Prutenis.*

1715:

1. Behm, Iohannes: *De encanto, Imperatoriis olim  
sacro.*
2. Emmerich, Georgius: *De vulneribus lethibus.*
3. Sommer, Reinhard: *De fiducioribus beneficiis ordi-  
nis non gentilibus.*



1716.

1. Strobel, Jakob : De homine invocante non occidere  
deinde.

2. Schroederus, Philippus Rostodus : De jure bellicosorum  
in Borussia

3. Stevins, Jacob : De collectione bonorum prius  
prohibitos.

1717.

1. Strobel, Jakob : De exceptione : non sum heres.

2. Charrissus, Johannes Balckhaen : De insignium modicis  
cum iustitiam naturam.

3. Charrissus, Christianus Lauterius : De malitia celsi

4. Gregorius, Johannes Adams : De habito iuris nat.  
et gent. ad rem publicam.

5. Gregorius, Adams Adams : De iure majoratum.

6. Rohde, Jakob Leibniz : De predictis quoniam Germani  
Im Rang appellan.

1718.

Knecht, Henricus: Anno 1718 effressum sed, ut justitia in republica ejusdem loci prout etiam est  
fur

1719.

1. Rensel, Thamas: De actibus iuratis

2. Schaeffer, Reinhardus Fridericus: De iuramento finiorum,  
et candidatus s. missis locis a consistorio regni Pomeraniae  
praeſtans. 2 Augst. 1719 - 1724.

3. Schaeffer, Philippus Richardson: De jure morum.

2 Augst. 1719 - 1725.

176  
of the whole world around - and the  
whole thing out & into us - is in  
itself

the same idea of the whole world  
around us - and the world, and  
the whole thing out & into us - is in  
itself

the same idea of the whole world  
around us - and the world, and  
the whole thing out & into us - is in  
itself

the same idea of the whole world  
around us - and the world, and  
the whole thing out & into us - is in  
itself

the same idea of the whole world  
around us - and the world, and  
the whole thing out & into us - is in  
itself

the same idea of the whole world  
around us - and the world, and  
the whole thing out & into us - is in  
itself

In Aug 1888

2000  
in Baudis' Antiquar. Stettin.  
*1714, 3<sup>a</sup>*  
*3/1*  
*156*

Q. D. B. V.  
DE  
**BIOGRAPHIS**  
**ANTIQUORUM JCTORUM,**  
**MAGNIFICI JCTORVM ORDINIS**  
**CONSENSV,**

DISSERENT

JO. GOTTLIEB OLEARIVS,

Phil. & J. U. D.

et

ERN. BOGVSLAVS CHARISIVS,

Reg. Boruss.

H. L. Q. C.

Ad d. Febr. M D CCXIV.

---

REGIOMONTI, Literis REUSNERIANIS.

Ernestus Bogislavus Charissius

VIRIS  
PERILLVSTRBVS ac GENE-  
ROSISSIMIS

HENRICO WILHELMO  
à GROEBEN,

S.R.Maj. Regniq; Poloniae Colonello  
maxime strenuo,

Ponargensis & aliarum possessionum Domino;

Nec non

WULFFIO SEBASTIANO  
à GROEBEN,

S.R.Maj. in Borussia à Consiliis Provincia-  
libus, & Territorii Rastenburgensis Praefecto,  
Majoratus Grorzschanfeldensis aliarumq; Possessionum  
Domino,

*Magnis Musarum Patronis, Mæcena-  
tibusque Gratiolis,*

Specimen levidense hoc Academicum, ob favorem  
Patri olim exhibitum, quem sibi suisq; studiis sub-  
missè jam expetit, ceu aeviternum venerabundi  
animi pignus devota manu sacrum esse jubet

PERILLUSTRIS GROEBENIANI NOMINIS

*submissus Cliens*

ERNESTUS BOGUSLAUS CHARISIUS.

## CONSPECTUS.

§. 1. Utilitas vitarum commendatur. §. 2. Biographici operis defectus examinatur. §. 3. Quae ad accuratam vitae re-  
 censionem requirantur, docet. §. 4. Instituti ratio exponitur.  
 §. 5. POMPONII Enchiridion. §. 6. RUTILII vitae veterum  
 JCtorum. §. 7. HENELII Comment. de veteribus JCtis.  
 §. 8. VAL. FOERSTERI historia juris civilis. §. 9. FR. HOT-  
 MANI vitae antiquorum JCtorum. §. 10. CATEL-  
 LIANI COTTAE de Jurisperitis. §. 11. AYMARI RI-  
 VALLII historia juris civilis. §. 12. THO. DIPLOVATA-  
 RII Lib. XII. de praestantia Doctorum. §. 13. JO. BER-  
 TRANDI, Bios vopincū seu de Jurisperitis Lib. II. §. 14.  
 GVIL. GROTHII vitae JCtorum. §. 15. GEO. CASP. KIRCH-  
 MAIERI elegia & elegantiae Lat. JCt. vet. §. 16. GEO.  
 EBERLINI de Origine Juris explicatio, aliorumq. conatus.  
 §. 17. Particulares antiquorum JCtorum biographi. §. 18. De  
 affectis AEGIDII MENAGII & CHRISTIANI THOMASII  
 differit.

### §. I.

**P**raecipuam historiae literariae partem, vi-  
 tarum Scriptores, vel MORHOFIO teste \*  
 constituant. Qvum enim duplex profi-  
 ciendi in literis via sit, altera per praec-  
 pcepta, altera per exempla, haec posterior  
 priori praefferenda omnino est, qvo ma-  
 gis ipse usus in rei praesentem deducit. Prout enim in-  
 cidimus in vitam vel JCti, vel Politici, multa discimus, de

qvibus nunquam cogitarunt, qvi praecepta tantum propo-  
nunt. Certe exemplis felicius longe, ac regulis, vivimus.  
Excitant erudit, qvamvis demortui, languentium animos,  
illosqve etiam ignaviae somno sopitos, ad studium verae  
solidaeqve gloriae impellunt. Virorum clarorum meri-  
tis ad capessenda literarum studia erigimur. \*\* Cognosci-  
mus inde, quae subsidia qvis habuerit ad eruditionem, qvi-  
bus initii ac fundamentis tantae summis in rebus laudes ex-  
citatae fuerint, quae contra impedimenta obstruerint, &  
qua industria superarint.

\* Polybiſ. T.I. L.I. c.XIX, n 1. Addeſis JO. ALESMIUM, in vita  
NIC. BOERII p.1. & LUD. REGIUM, in vita GVIL.  
BUDAEI, p. 33. in collectione vitarum CL. X. JCtorum FRID.  
JAC. LEICKHERI, qvem ipsum ejusqve eruditam consu-  
las velim praefationem.

\*\* Insignem vitarum usum indicat GEO. SCHUBARTUS, in  
colleg. lit. MSS. Lib. III. de notit. liter. §.17. Non major uiri-  
tatis, inquit, ad literarum comparandam notitiam patet, qvam  
quae ex vitarum Scriptoribus hauritur. Ipsi enim sunt, qui Le-  
ctores instruunt, ne in dignoscendo & judicando aberrent, ad  
quamvis ex inspectione libri simus certi de habitu doctrinae &  
studii ejus, qvi apud eruditos praelato ingenii monumento cele-  
bratur, non tamen statim de subſidiis & moribus certi sumus.

## S. II.

Licet igitur sint maxime utiles ac necessarii vitarum  
Scriptores, tamen qvi opus biographicum, qvod omnium,  
quotquot de Literis bene meruerunt, vitas complectatur,  
unquam congeffserit, neminem scio, \* Ex qvo oppido ad-  
paret rei literariae imperficio, qva vel seculum nostrum  
huc

huc usque laborat, dum ne unicus \*\*. ad quem ceu ad normam & regulam recurramus, Scriptor existat, atqve illorum sicut sit habenda ratio, qvi doctorum vitas virorum hinc inde consignarunt.

\* Id qvod eqvidem institutum, paucos ante annos, fuit adgressus CHRISTOPHORUS HENDREICH, *in Pandectis Brandenburgicis*, qvarum Lit. A. & B. Berolini, 1699. f. produxit. Universalem Scriptorum catalogum has esse voluit, atqve in iis pariter ac recensendis eorum scriptis haud parum praestitit. Verum non brevis modo est, sed & innumeris facere naevis erroribusque scatet. Confer, qvod de eo judicium tulit STRUVIUS, *introd. p. 29. seq.* & adde BUDDEUM, *in praef. Lexici: Hendrich hat in seinem Pandectis etwas vollkommenes praestieren wollen, aber auch ein Exempel hinterlassen, daß es leichter sey, solche Wercke zu projektiiren, als auszuführen, wiewohl er an seinem Fccls nicht hat ermangeln lassen; und wenn nur in diesem Werck ein besserer Selectus und Ordnung in Anführung der Schriften gehalten wäre, würde man sich dessen gar nützlich bedienen haben können.*

\*\* Qvotidiani tamen usus esse potest GEO. MATH. KOENIGII, *Bibliotheca vetus & nova, Altdorffii, 1678. in fol.* minori excusa, qvae hac nobis ratione inservit, ut inferta charta munda, ad eandem, quae notari merentur, suo loco congeramus. Imperfectus qvidem est hic conatus, prout jam alii edocuerunt, interim ab ordine alphabetico vel omnibus commendandus. Evolvas tamen velim MORHOFIUM, *Polybiſt. T.I. L.I. c. 18. n. 15.* BAILLET, *Jugement des Scavans T.II. p. 45.* JO. MOLLERUM, *ad histor. Cherson Cimbr. p. 5. & in Homonymoscopia, passim.* JO. ALBERT. FABRICIUM, *in decad. Script. recent. num. 9. & Mr. BAYLE, in Diction. sub voce KOENIGIUS.* Ut fama fert, novam, eamqve curatorem & auctiorem KOENIGII editionem meditatur JO. WÜLFFERUS, Koenigii gener, sed hactenus nondum prodit.

## §. III.

Itaque, quae ad accuratam vitae recensionem requiriuntur, alii \* prolixius tradunt. Hoc ego saltim praemitendum esse arbitror, quod quidam vel minimis indulgeant, adeo, ut ne somnia quidem, prae sagia atque ostenta, neglexerint. \*\* Alii contra nimis scrupulosi esse nolunt, nec aliorum, nisi, quae usum in re literaria praebent, mentionem injiciunt. \*\*\* Hi certe vitas accurate scribunt, qui nativitatem, patriam, parentes, ingenium, educationem, mores, & animi characteres, temperamentum, praecceptores, studia, peregrinationes, dignitates, insignia & symbola, res oeconomicas, fata singularia, commercium literariorum, controversias, merita, scripta, inventa rariora, mortis genus, in aliorum imitationem, posteritati, velut per manus, tradunt. Minutissima enim & puerilia singula, lectorum saepe reddunt taediosum, paginasque utilioribus longe, praeципiant.

\* TENTZELIUS, colloqu. menstr. an. 1689. p. 101. seqq. THOMASIUS, Monats-Gespräch, an. 1688. P. II. p. 251. seq. LILIENTHAL, consultac de hist. liter. certae cuiusdam gentis scribenda, Scđt. III. c. 2 p. 97. seqq. Conf. JO. HENR. ERNESTI, de prudentia contexendi vitas clarorum virorum, in usum politicum.

\*\* Quos laudant JO. ANDR. BOSIUS, de comparanda civili prudenter, p. 28. & MORHOFIUS, l. c. Lib. I. c. XIX. n. 6.

\*\*\* In primis MARESIUS, Lib. II. Epist. V. & XLIV. qui tamen praeter rationem Germanis biographis μαργολογίαν exprobavit, cui proinde respondit FEUSTELIUS, de eruditorum Germanorum virtutis, contra iniquas Gallorum nonnullorum censuras, in specie contra ROL. MARESII, judicium, Lips 1707. 8. Conf. capitulo Neuen Bücher-Saal, T. I. p. 829. GASSENDUM, in praef.

*praef. ad vitam PEirescii & Mr BAYLE*, *Diction. T. III.*  
*p. 2313. seq.* Addesis CLARMUNDUM, *Epiſtol. ad amicūm.*  
*p. 4. 5. & MEIBOMIUM*, *ad Vogleri introd. p. 181. seq.* ubi  
 virtia & virtutes Biographorum, recenſet. Laudari itaque me-  
 rentur vitarum elegantissime ſcriptarum exempla, NIC.  
 CLAUD. FABRIC. de PEiresc. *vita* per PETR. GASSEN-  
 DUM conſignata: THO. HOBBII per RAD. BATHUR-  
 STIUM: JO. HENR. HEIDEGGERI per JO. LUD. FA-  
 BRICIUM: MORHOFI per JO. MOLLERUM ſcripta:  
 JAN. GRUTERI *panegyricus* à BALTH. VENATORE  
 dictus: JO. REUCHLINI à HENR. MAJO, adorna-  
 ta: NIC. BÖERII, A. AUGUSTINI, FR. HÖTOMANNI,  
 B. BRISONII, P. PITHOEI, GV. BUDAEI, A. GOVEA-  
 NI, J. CUJACCHI, JO. BERTRANDI, GV. PANZIROLI,  
 ex recenſione FR. JAC. LEICKHERI, *Lipſ 1686. 8.*

† Talis mihi in quibusdam videtur, *vita* PHIL. MELANCH-  
 TONIS à CAMERARIO exarata, atque paſſim typis excusa,  
 quam qvidem promeritis laudibus ornant BOECLERUS,  
*Biblioſr. p. 169. & MORHOF. l.c.* In illa enim defidero,  
 quod minima, qvac parum utilitatis, aut nihil, in re literaria  
 adſerunt, non raro adduxerit, pluraque ſicut perneceſſaria  
 omiferit. Itaque fruſtra quaeras PHIL. MELANCHTONIS  
 natalem, catalogum Scriptorum, &, qva prodierint, occaſio-  
 nem. Plura in eo animadverturnt *Casauboniana p. 29.* JO. CHRI-  
 STOPH WOLFFIUS, *in not. p. 241.* CRÉNIUS, *dift.*  
*de Libris Scriptorum optima p. 205.*

## §. IV.

Scripturus autem de iis saltim, \* qui vitas Jctorum  
 ex instituto, adornaſunt, Jurisperitos, in antiquos & recen-  
 tiores diſpescere placet. Per antiquos intelligo, qui ante  
 reſtitutam ab IRNERIO Jurisprudentiam vixerunt. Recen-  
 tiores

tiores nuncupo, qui ab IRNERIO ad nostra usqve tempora floruerunt.

\* Eruditorum in qvovis scientiarum genere virorum biographos recensent PHIL. LABBE, in *Bibl. Bibl.* & qvi illum continuavit, Mr. TEISIER, in *catal. catal.* adde NIC. ANTONIUM, in *praef. Bibl. Hispan.* JO. ANDR. BOSIUM, in *dissert. de not. Script. eccles.* c. V. BAILLET, en le *Jugement des Scavans T. I. P. I. c. 4. p. 138. seq.* STRUV. *introd. cap. VII.* MORHOF. *Polybistor. L. I. c. XIX.* aliiqve, CASPARO THURMANNO, *Bibl. academ.* p. 78. *seq.* citati.

### §. V.

Inrer eos, qvi antiquorum JCtorum vitas scriptis tradidisse fecerunt, agmen ducit SEXTUS POMPONIUS, \* qvem plurimi \*\* ad ALEXANDRI SEVERI tempora reponunt. Huic POMPONIO, ex antiquissima POMPONII ATTICI gente, oriundo, PAPINIANI discipulo, viro undiqvaqve \*\*\* doctissimo, *Lib. II. Enchiridii vulgo tribuuntur.* Non desunt tamen, qvi de eo prorsus dubitant, atq; contrarium defendunt. Certe & ego ancepis haereo. Qvi enim discipulus potuit negligere praceptorum, JCtorum sui temporis principem, PAPINIANUM, cuius nullam plane mentionem injectit. JANUS VINCENTIUS GRAVINA \*\*\*\* eum idcirco legis hujus autorem extitisse, dubitat, aut ante PAPINIANUM floruisse, conjicit. Qvicqvid tamen dicatur, autorem hujus *Enchiridii* † in historiis non satis imbutum atqve negligentem fuisse adparet. Hoc eqvidem institutum, JCtorum, qvi ante POMPONIUM fuerunt, catalogum & rerum romanarum compendium, brevitate admirandum, laudat PANZIROLUS. ‡ Sed me qvidem judge

judice adeo brevis est hic conatus, ut brevitatis causa, innumerous fere Jurisperitos praetermisserit. Sic frustra quae ras C. ACULEONEM, VISELLUM VARRONEM, C. FIMBRIA, Q. LUCRETUM VISPILLONEM, P. QVINTILIJM, P. CONSAM, M. MARCELLUM, C. BILIE NUM, L. VALERIUM, CN. AUFIDIUM, PAPINIANUM, P. OCTAVIUM BALBUM, aliosque †††. Errores pariter non perpauci in hoc Enchiridio deprehenduntur, quos Commentatores passim ††† notarunt.

\* Hunc SEXTUM POMPONIUM qvidam in duos Jctos, SEXTUM & POMPONIUM, dissecant, occasione L. 32. ff. de Legat. i. quibus tamen respondet JO. BERTRANDUS, de Jurisperitis, p. 88.

\*\* LAMPRIDIUS, *in vita Alex. Severi*, POMPONIUM, inter ALEXANDRI familiares & socios, c. 68. nominat. Hunc amplectitur BERTRANDUS, *loco citato*, p. 86. HENELIUS, *de veteribus Jctis*, c. 30. p. 160. ALEXANDRI, Imper. Consiliarii annumerant VALENTINUS FOERSTERUS, *Histor. Jur. civil. Lib. II.* c. 79. p. 397. & BERNHARDINUS RUTILIUS, *ver. Jct. vitis, edit. Argentor. 1538. 8. p. 364.*

\*\*\* Philosophia Stoica fuit imbutus L. rerum mixtura ff. de usurpat. & usucap. Laudat POMPONIUM BERTRANDUS, l.c. p. 88. qui & eximia doctrinae Pomonianae monumenta recenset, p. 89. adde LABITUM, *indic. Leg.*

\*\*\*\* De ortu & progressu Jur. civ. p. 119. Addc GV. PANZIRO LUM, de claris Legum interpret. L. I. c. 43. p. 60. GVIL. GROTIUM, de uit Jct p. 113.

† Enchiridion POMPONII exhibetur l. 2. ff. de O. I. licet sint, qui ex inscriptione hujus Legis & L. 2. de J. & J. POMPONIUM, aliud Librum singularem Enchiridii scripsisse arguant. conf. BERTRANDUM l.c. p. 91. & GEO. EBERLINUM, de O. J. p. 420. n. 19. Qui in Enchiridion, quod vulgo sub

Pomponii nomine circumfertur, sunt commentati, dabit LIPENIUS, *Bibl. Jur.* p. 367. seq. Ex his, prae reliquis, commendari merentur, CHRIST. ADAMI RUPERTI *notae*, iterum iterumque excusae. Adde, quas LIPENIUS omisit, VENNII *notas*, ad L. 2. ff. de O. I. in SIM. LEEWII *Tractatu de origine & progressu Juri*, *Lugd. Bat.* 1671. & *Jenae*, 1697. 8. ubi pariter COCCEJI, GOTHOFREDI, CUJACII, BUDAEI, CAGNATHI, RUSSARDI, BACHOVII & LEEWII, deprehenduntur.

†† *Loco citato* p. 60.

††† *Conf. FOERSTERUM*, l.c. p. 350.

†††† Praeterea eos autem videatur modo laudatus FOERSTERUS, l.c. p. 257. 327. 434.

### §. VI.

Antiquorum \* a Pomponio memoratorum Jutorum vitas non pauci adornarunt. Primus forte hunc laborem ex instituto tractandum suscepit BERNHARDINUS RUTILIUS, Italus Vicentinus, \*\* qui circa initium Sec. XVI. & genere & doctrina, floruit. Extant ejus vitae, hoc titulo, exeratae: *Veterum Jutorum vitae*, per BERNHARDINUM RUTILIUM, *Jtum doctiss. summa diligentia conscriptae*, Argentorati, per Cratonem Mylium, anno 1538. 8. & alibi \*\*\* Hic RUTILIUS ingenuo profitetur, quod labor POMPONII, hoc opus plurimum adjuverit, idque singulare in hanc disciplinam beneficium depraedat. † Libellum NICOLAÖ RODULPHO, Cardinali, quem patronum suum optimum & beneficissimum gloriatur, Romae, 1536 nuncupavit. Argumentum, quod tractat, sunt Scriptores, qui POMPONIO citantur, sed & alii, qui libera romanorum republica claruerunt. Incipit a PAPIRIO MAJORE, atque ad TRIBONIANUM, ejusque socios, progreditur. Hic igitur,

tur, et si multum eo temporis praestiterit, †† tamen naevis & defectibus suis laborat, quos GVIL. GROTIUS, aliquo, emendarunt. †††

- \* Inter recentiores vitarum Scriptores RUTILIUS erronee satis numeratur à MORHOFO, *Polybiſt. T. I. L. 1. c. 19. p. 248.*
- \*\* Vitam RUTILII exhibet PAULUS JOVIVS, *Elog. doct. vir. num. 96.* non vero 196. prout in *Lexico universali JO. FR. BUDDEI, T. II. p. 319.* citatur. Scripta vero enumerat SIMLERUS, *Epitom. bibl. Geſner. p. 97.*
- \*\*\* Fallit V. CL. STRUVIUS, dum *Bibl. Juris p. 6.* primam RUTILII, editionem, Basileensem, 1537. facit. Primam enim hujus libelli impressionem anno 1536. Cardinali, NICOLAO RODULPHO, ipſe RUTILIUS, Romae, dedicavit. Hanc cum *versione D'ODORI SICULI, cx Italia, Argentoratum,* tranſlulit CHRISTOPH. WELSINGER, Jctus, quem ideo laudat NICOLAUS GERBELIUS, *in dedicatione RUTILII, Argenteor. 1538. 8.* Et ſic demum, in Germania, ad exemplar italicum, prodiit. Ad manus eſt alia Rutilii editio, *Basileae, 1555. 4. expreſſa,* hoc titulo: *Jctorum vitae, veterum quidem per Bernardinum Rutilium, unacum ejusdem Decuria, recentiorum vero, ad noſtra usque tempora, per Jo. Fichardum, Francof. adhaec indices duo locupletissimi omnium Scriptorum in Jure tam Pontificio, quam civili, a veteribus & recentioribus Jctis, ad haec noſtra usque tempora editorum: per JO. NEVIZANUM, LUD. GOMESSIUM, & JO. FICHARDUM collecti.* Aliam porro editionem, Lugdun. 1538. 8. memorat STRUVIUS, *loco citato.* Errat JAC. FRID. REIMANNUS, hanc *Lugduni Batavorum excusam eſſe, in der Einleitung in die historiam Liter. p. 272.* ſcribens, quem ideo notavit, atque, qvod *Lugduni Gallorum prodierit, probavit, JO. MOLLERUS, in seinem Schutz-Brief contra REIMANNUM, quam exhibet ausführlicher Bericht von neuen Büchern, p. 704. seqq.* Plures RUTILII editiones collegit LIPENIUS, *Bibl. Juris, p. 549. Basil. 1557. 8. Venet. 1584.* quas tamen non vidi. Labitur vero, dum *Argen-*

toratenſi, 1538. 8. FICHARDI vitas, adjeſtas eſſe ſcribit.  
Venetam an. 1584. 8. GEO. BEYERUS, Spec. II. n. 16. p. 53. ad-  
ducit. Hic Libellus pariter inſertus eſt Tract. Tract. T. I.

† De vītis JCitorum, p. 364.

†† Ita de eo iudicat PAULUS OVIUS, l.c. Rutilius edidit volumen  
ab industria atque facundia commendatum, de his, qui florente  
romano Imperio Juris intelligentia praefliterunt, quo laborioſo  
et gantique opere, Ciceronem obiter a multa mendorum labore re-  
purgavit. Majora porro editurus videri poterat, nisi immatu-  
ra mors lucubrantem Venetiis exprefſifet. Nec minus RUTI-  
LIVM extollit NICOLAVS HENELIVS, de veter. JCtis,  
p. 329. Romani Juris interpretes peculiari libro eleganter laudavit  
Rutilius, & quidem plenissime, qua res fieri potuit. Ad eum  
ergo adeat, qui de tot nobilium JCtorum, e quibus plerique sum-  
mi Philofopbi, summi oratores, summiciam magistratus fuere,  
rebus praeclarare, qua bello, qua pace, gestis plura cognoscere cu-  
pit. Optamus Patronum, qui libellum eum Tract. quid. in Tract.  
inſeri meritum, sed haud in minus in paucorum manibus ver-  
ſantem, denuo ſeorsim vulgandum curat.

†† In elegantissimo Tractatu, de vītis JCtorum, Lugd. Bat. 1690. 4.  
Conf. p. 3. 14. 15. 20. 33. 64. 68. 69. 70. 71. 73. 91. 97.  
99. 113. 129. 132. 133. 150. 171. 189. ubi errores ejus no-  
tavit. Adde AEGIDIUM MENAGIVM, Amoen. Jur. civil.  
p. 67. & 104. seq.

### S. VII.

RUT LIUM qvidem ſeqvitur NICOLAUS HENE-  
LUS ab HENENFELD, Silesius, \* in Comment. de veteri-  
bus JCtis, e quorum Legibus Iuſtitiae Romanae templum exae-  
diſi atum eſt, Lipsiae, 1641. 1654. 8. Agit autem potiſſimum  
de iis, quorum fragmenta in Pandectis adparent, aliorumq;  
ſubinde mentionem, licet ſuperficijarum, inſicit. Totum  
HENEL. Topiſculum XXXIX. \*\*\* cap. abſolvitur & ſubne-  
ctun-

Etuntur *Commemoratio metrica 38. istorum Jctorum: CASPARI CONRADI in eisdem disticha: LORICHII \*\*\* catalogus Jctorum veterum carmine elegiaco & HENELII notae ad Lorichii Jctos.* Hic tamen conatus, jucundus magis atque utilis est, cum Panegyristas potius agant autores, quam biographos. †

\* De HENELIO vide HENNING. WITTE, *Diar. biogr. T.II.*  
ad ann. 1602 Scripta ejus recenset BEYER. *Spec. II. p. 53.*

\*\* Non vero XXXIX. quemadmodum apud BEYERVM, i.e. p. 52o.  
legitur, qui error forte typographicus est.

\*\*\* LORICHII catalogus seorsim quoque prodiit per MATH.  
GR BALDVM, Basil. 1545. 4. vide, quae de LORICHO  
tradit KOEN GIVS, *bibl. p. 481.*

† Huic STRUVII judicio subificio modo laudatum BEYERUM,  
i.e. p. 53. nervose scribentem: *Elaboratio talis est, ut rectius  
Panegyricos, quam vitas vocare possit; stylus multo comitor,  
quam vitarum recenso requirit; observata pleraque non Juris-  
prudentiam, sed alia omnia complectuntur, & magis jucun-  
dum est hoc opusculum, quam Juris studio utile; solum certe  
non sufficit, sed juxta alios legi debet.*

### §. VIII.

Venio nunc ad VALENTINUM FOERSTERUM,  
quem quidam \* VALENTINUM GVILIFLMUM falso  
nuncupaverunt. Hunc cum alio ejusdem nominis FOER-  
STERO, Prof. Jur. Witteberg. anno 1599. nato, qui anno  
1617. obiit, FREHERUS, turpiter satis, confundit. \*\* Vitam  
nostrri FOERSTERI multi quidem tradiderunt. \*\*\* Scri-  
pta ejus, quae posteritati reliquit, singula non recenseo,  
sed ad autores, qui illa exhibent, remitto. † *De historia  
Juri civilis Romani Lib. III.* iterum iterumq; excusi sunt. ‡‡

Liber I. historiam Juris proponit. Lib. II. vero de *Jctis*, POMPONIO memoratis agit. Lib. III. de *Jctis post restauratam Jurisprudentiam*, ab IRNERIO ad ANDR. TIRAVELLUM differit. Hanc recensionem continuavit typographus, ad annum 1590. atque recentiores sui temporis *Jctos* subjunxit. De hoc FOERSTERI labore iudicat, qui eum recenset <sup>†††</sup> BEYERUS; Optima est autoris methodus, modo ipsi responderet elaboratio, in qua non tantum diligentiae, quantum debet, adhibuit, ut potissima huc spectantia vel frustra ibidem quaeramus, vel jejune tractata inveniamus. Laudandus vero est, quod glaciem fregerit, & satis videtur eruditus proratione temporum, in quae inciderat. FOERSTERI in hoc opusculo errores diligenter monuit RUPERTUS <sup>|||||</sup>. Plagii illum accusat RITTERHUSIUS, quem haud gravatim evolvas velim. <sup>|||||</sup>.

\* STRUVIUS *Bibl. Jur.* p. 7. & 236. *Introd.* p. 365. Conf. quae habent MOLLERVS, *Homonymosc.* p. 675. & ausführlicher Bericht, p. 655. cuius autor tamen male scribit, FORSTNERVS pro FOERSTERVS, i.e. id quod in REIMANNI *Einleitung ad hist. liter.* p. 29. notavit MOLLERVS, ausführlichen Bericht, p. 701.

\*\* Tribuit enim praesens opusculum, *Colon. Agrippinae*, 1594. jam impressum, juniori FOERSTERO, anno 1599. nato. Conf. FREHERI *Theatr.* p. 980. & 1084. quem errorem pariter amplexus V. CL. BVDDEVS, in Lexico.

\*\*\* Vita FOERSTERI nostri praemittitur ejus Tractatu *de Jurisdictione Romana*, *Helmstad.* 1610. 8. quem recenset BEYERUS, *Spec. II.* p. 102. adde *memorias Jctorum Helmstad.* n. 15. p. 103. seq. Epitaphium exhibet CHRISTOPH. BOEHMER, *Inscript. sepulchral.* *Helmstad.* p. 65.

† Conf. WITTE, *Diar. biograph.* ad ann. 1608. mens Octobr.

An-

†† Antiquissimam FOERSTERI editionem, apud Oporinum, Basileae, anno 1565. impressam adducit MICHAEL NEANDER, in praef. erotem. græc. lingv. p. 158. recusa Colon. Agripp. 1594. & cum Tract. de hereditatibus, quæ ab intestato deferruntur, Mogunt. 1607. 4. Seorsim prodiit Aurel. Allobrog. 1609. 8. Editiones alias, utputa Mogunt. 1615. 4. Helmst. 1619. 8. Genav. 1609. memorat LIPENIUS, l.c. p. 216.

††† Spec. III. p. 88.

†††† In animadversionibus ad POMPONIVM, L. III. c. I. & alibi.

††††† Ad LL. XII. Tabb. in prolegom. c. 6. p. 14. Conf. THOMASIVM, de plag. liter. §. 433.

### §. IX.

His porro, qvi antiquorum Jctorum vitas scripserunt, FR. HOTMANUM STRUVIUS \* annumerat. Hic qvem admodum post restitutum Jus civile & Juris & Lingvarum peritia, maxime floruit, ita egregia eruditio sua \*\* monumenta posteritati reliquit. Huc facit brevis HOTMANI de Jctorum vitis, qvi in Pomponio memorantur, tractatus, qvi cum aliis eius opusculis & B. BRISSONII Lexico Juris, à FR. MODIO & LIPSIО recognitis, Francof. 1587. f. prodiit. \*\*\*. Varia HOTMANI ejusque Scriptorum fata deprehendo, adeo, ut ipsi, plagi notam nonnulli †† inusserint. Errores HOTMANI hinc inde commissos virgula censoria notavit, quem infra laudabo, GVIL. GROTIUS. †††

\* Bibl. Jur. p. 7.

\*\* HOTMANVM ejusque Scripta laudant THVANVS, lib. 99. TEISSIER. elog. des Seavans, T. II. p. 136 – 141. BLOVNT, cens. celebr. auctor. p.m. 545. SANMAR THAN. Elog. Gall. p. 169. FREHER. Theatr. erudit. p. 916. FR. HOTMANI, elogium, quo summa vitae capita continentur, Francof 1595. 8. & Hanov. 1613. 12. PETRO NEVELETO DOSCHIO, Jcto,

JCTO, autore, editum, praemittitur *Operibus HOTMANI, T. III. Genevae, 1599. f.* quam repetit notisqve perpetuis illustravit, qvi HOTMANI Scripta recensuit, FRID. JAC. LEICKHERUS, in vit. X. JCTorum p. 206. seqq. Adde, qvi de eo scripferunt, STRUVIUM, Bibl. antiqu. an. 1705. p. 121. HANCK. de Scriptor. rom. P. I. c. 72. Mr. BAYLE, Diction. & alios. HOTMAN!, JCTum, Basili. 1559. 8. excusum refert BEYER. Spec. I. p. 89. seqq.

\*\*\* Extat quoqve cum HOTMAN!, Comment. de verbis Juris, antiquitatum romanarum elementis amplificato: de Magistratibus, de legibus, de Senatu & SCris insignibus, de formulis, de Comitiis pop. Roman. Basili. 1558. & 1563. Paris 1558. & Lugd. 1569. fol. In Operibus vero, Genevae, 1599. f. T. III. vulgatis, pauca saltem de JCTis T. I. p. 7. seq. lineolae deprehenduntur.

† Apud TOLLIUM, ad PIERII VALERIANI de Literatorum infelicitate, p. 64. seq. Duriter satis tractatur HOTMANUS, ab ANTONIO MATHARELLO, qvi ejus librum, *Francogallia*, dictum, acriter impugnavit. Controversiam illam atqve scripta critica enumerat LEICKHERUS, in not. p. 222. seq. Nec aliam apud Pontificios *bruto suo fulmine*, Lugd. Bat. 1586. 8vo. & alibi excuso, init gratiam. Prohibentur enim vel hanc ipsam ob causam, in prima expurgatoriiorum indicum classe, Scripta ejus omnia. Conf. VINCENTII PLACCII Theatr. Anon. & pseudonymon p. 14. de caetero *brutum fulmen*, Genevae impressum, praestare, editione Leydensi, docent *Scaligeriana*, eo, qvod in Leydensi multa sint interpolata.

†† THOMASIUS, de plag. § 469. adde THO. CRENII, dissert. epistol. II. de furibus librari. ad FRID. DAN. KNOCHIUM, Lugd. Bat. 1708. excusam, §. 39.

††† De vita JCTorum, p. 3. 89. 90. 91.

### S. X.

Levioris eqvidem momenti sunt, qvæ CATELLIANUS COTTA, JCTus Mediolanensis, de Jurisperitis tradidit,

dit, qvibus praecipuos JCTOS à Q. MUTIO SCAEVOLA usqve ad ANDR. ALCIATUM attegit. Hic COTTAE Tractatus insertus est *Tract. Tract. T. I.* sed & separatim prodidit *Venetiis 1584.*\* Caeterum CATELLIANI COTTAE memorabilium *P. II. Basileac.*, apud OPORINUM, excusas memorat SIMLERUS.\*\* Cave confundas hunc COTTAM cum JO. COTTA, Poeta italo, circa annum 1510, denato, cuius meminuit PAULUS JOVIUS.\*\*\*

\* Si fides habenda LIPENIO, l.c. p. 540. Aliam, puta *Basileensem*, ex officina oporina in 4. adducit REIMANNUS, *Einleitung* p. 273.

\*\* Epitom. bibl. Gesner. p. 117. *Scholia Cottae ad Mediolanensem statuta, Bergomi, 1594.* vulgata, refert LIPENIUS, l.c. p. 321.

\*\*\* Elog. doct. viror. n. 54.

### §. XI.

Hujus pariter farinae est AYMARI RIVALLII, Delphinatis, JCTi erudit & eloquentis \* *historia juris civilis*, in cuius *Libro V.* antiquos JCTOS, e qvorum Scriptis Pandetiae congestae sunt, a CAPITONE usqve ad SEXTUM PEDIUM enumerat. Praeter editiones a STRUVIO memoratas \*\* antiquiores habemus, *Moguntinas*, 1527. 1530. 8vo. Hujus RIVALLII *historiae Juris pontificii*, meminuit modo citatus SIMLERUS. \*\*\* Paucāqvidem praestitit RIVALLIUS, sed inter primos forte, qvi historiam juris scripserunt, numerantur. Naevos, qvibus scatet, notarunt AE. GIDIUS MENAGIUS, & GVIL. GROTIUS.†

\* Juvenis hanc *historiam RIVALLIUS* scripsit, teste GRIBALDO, in distichis:

*Historiam Juris splendens Rivallius ornat,*  
*Praestit haec juvenis, nunc mibi quantus erit.*

C

\*\*

\*\* Bibl. Jur. p. 8. & 235. utputa Mogunt. 1533. 1539. 8. Extat qvo-  
gue in Tract. Tract. T. I.

\*\*\* loco citato p. 82.

† MENAGIUS quidem, Amoen. Jur. p. 70. 74. GROTIUS, l.c.  
p. 71. 150. 159. 168. 171. 181. 196.

### §. XII.

Seqvitur THOMAS DIPLOVATAR'US, quem alii \*  
DIPLOVATACIUM, DIPLOBATARIUM scribunt, Pa-  
tricius Constantinopolitanus, \*\* cuius Libros XII. de praef-  
stantia Ddram & larissimis Jctis, a PHORONEO, usqve ad  
BAPTISTAE EGNATII tempora, laudat MICHAEL NE-  
ANDFR, \*\*\* qui opus hoc jam dudum periisse aut alicui  
bi ab aliquibus suppressi, recte monet. Nusquam enim hic  
labor utilissimus deprehenditur, † si paucas, qvae cum ejus  
Comment. de Testibus prodierunt, vitas excipias. ††

\* Observante LIPENIO, l.c. p. 550. adde LABBEUM, Bibl. Bibl.  
p. 337.

\*\* Vitam ejus scriptit J. BAPT. EGNATIUS.

\*\*\* In doctissima prafat. erotem. graec. Lingv. praemissa, p. 158.

† Confer tamen REIMANNUM, Einleitung, p. 275.

†† Extat cum ejus comment. de testibus, vita PAULI CASTREN-  
SIS, JASONIS MAYNI, & BARTOLI DE SAXOFER-  
RATO, Colon. 1596 4. Eodem DIPLOVATARIO autore  
prodit vita INNOCENTII IV. Venet. 1578. Plures, quas  
DIPLOVATARII vitas scripserit, utpote ANGLI DE GAM-  
BLLONIBUS, ARETINI, ALEXANDRI DE TARTA-  
GNIS, IMOLENSIS, citat SIMLERUS, l.c. p. 661.

### §. XIII.

## S. XIII.

His quos dixi, palmam facile praeripit JO. BERTRANDUS, Praeses Tholosanus, \* de cuius illustri gente aequo gloriantur Galli, ac de FABRIS, PITHOEIS, & GOTHOFREDIS, magnis Jurisprudentiae nominibus. Hic et si magna proluerit eruditione, tamen vel publicis impeditus negotiis, unicum saltim, si LEICKHERO \*\* fides, tractatum reliquit. Is autem prodiit hoc titulo : *Bios requirantur \*\*\* sive de Jurisperitis Lib. II. auctore JO. BERTRANDO, Praefato de Tholosano.* Hunc tractatum post fata Parentis protrahunt, TRISTANDUS BERTRANDUS, Senator Tholosanus, FR. BERTRANDUS, CATOURSAFUS, filii. Et quum prima BERTRANDI editio vitiis scateret quamplurimis, atque AEGIDIUS MENAGIUS † alioque, multa in eadem animadvertisserint, haec illorum observata posteriore ‡ subiunxit typographus. Praemittitur *vita BERTRANDI*, a FR. BERTRANDO, filio, adorna, quam exinde suam fecit LEICKHERUS. ‡‡ Jctos a SALVIO JULIANO ad TUSCIANUM perseqvitur BERTRANDUS, atque in recensendis eorum vitis & scriptis occupatur.

\* Notari h.l. meretur, BERTRANDUM adhuc imberbem, Señatorem fuisse creatum. Conf. *vitam ejus, Tract. de Jurisperitis* praemissam, p. 4.

\*\* In collectione vitarum, p. 352. Tractatum quidem *de origine jurisdictionum*, Parisiis excusum, memorat HENDREICH, Pandect. Brandeb. p. 544. quem tamen rectius PETRO BERTRANDO, alii vindicant.

\*\*\* Titulum *Bios requirantur* corrumptunt, REIMANNUS, per *Bios requirantur*, ideo notatus a MOLLERO. conf. *ausführlichen Bericht*

p. 704. *Bis. vopixāv* scribit HENDREICH, i.c. *Biographiā LABEUS*, *Bibl. Bibl.* p. 176. STRUVIUS *introd.* p. 365. *Bis. vopixāv*, forsan ex errore typographicō, habet, in *Bibl. enīm Juris*, p. 9. recte scripsit *Bis. vopixāv*, ubi tamen de *Jurisperitis antiquis* legitur, quam vōculam *antiquis*, titulus non exprimit. *Bis. vopixāv* habet, VOGLERUS, *introd.* c. VII. p. 46.

† In *amoenitatibus Jurū* passim. Post MENAGIUM, aliosqve, adhuc plura in BERTRANDO notavit GVL. GROTIUS, de *vit. JCtorum*, p. 44. 45. 54. 58. 62. 65. 70. 79. 81. 89. 92. 94. 95. 98. 109. 111. 113. 122. 123. 126. 127. 131. 133. 134. 135. 136. 137. 138. 139. 143. 145. 149. 150. 152. 155. 156. 157. 168. 169. 170. 171. 172. 173. 176. 177. 179. 180. 188. 189. 190. 192. 195. 196. 199.

†† Ultima BERTRANDI, quam usurpavi, editio prodidit, *Lugd. Bat. 1675. 8.* In titulo *secunda* editio emendatior & nuditior laudatur. Sed HENDREICH, i.c. aliquo, tres BERTRANDI editiones enumerant, *Tolosanam*, 1617. 4. apud Raymundum Colomerium, excusam. Aliam *Tolosae*, 1622. 4. recusam, & recentissimam *Lugd. Bat. 1675. 8.* Quartam, *de Vitis JCtorum veteris Romae*, in 800. 1617. vulgatam memorat KOENIGIUS, *Bibl. p. 106.*

#### §. XIV.

BERTRANDO tamen accusation est GVL. GROTIUS, JCtus Delphinensis, magni HUG. NIS frater, cuius in hac re tractatus, reliquias, qvi hanc materiam pertinuerunt, antecellit omnibus. Mortem eius ad annum 1622. reponit, qvi pauca de eo tradit, HENNIGINUS WITTE. \* Scriptis \*\* autem vias JCtorum, quorum in pandectis extant nomina, quas JACOBUS GROTIUS, filius, *Lugd. Bat. 1690.* in 4to. post Parentis obitum, publicavit. In hoc autem omnes JCtos, qui vel a POMPONIO, vel aliis eorum collectoribus praetermissi sunt, quorum tamen vel in Pandectarum,

itarum, vel in CICERONIS, GELLII, LAMPRIDI<sup>II</sup>, aut aliorum historicorum Libris factam deprehenderet mentionem, enumeravit, atque aetates eorum studiose investigavit. Conscriptos pariter ab iis libros, qvi in s. aut alibi allegantur, recensuit, horumque, qvi antea vitas veterum JCTorum adornarant, admisso errore libere notavit. Sic RUTILIUM, RIVALLIUM, BERTRANDUM, aliosque vitarum JCTorum Scriptores, in permultis castigavit. Antiquorum quoque Scriptorum, CICERONIS, GELLII, FESTI, VELLEFI PATERCULI, VALERII MAXIMI, corrutelas emendavit. Censoria denique virgula notavit HOTMANUM, LIPSIMUM, CUSPINIANUM, CUJACIUM, ALCIATUM, GOTHOFRIDUM, ZASIUM, aliosque, ita, ut nec in erroribus doctissimorum virorum annotandis abstinuerit. Elegantissimus est tractatus, in quo nihil desidero, nisi, quod JACOBI GROTHI incuria vitiouse excusus sit, prout in eo animadvertisunt, qvi illum recensuerunt, Actorum eruditorum Lipsiensem collectores. \*\*\*

\* Diar. biograph. T. II. p. 85. Miror, qvod nemo, qvem sciam, ex biographis, cum commemoraverit.

\*\* Hujus pariter GROTHI est *isagoge ad praxin fori bavarici, illustrata paraphasi ac supplemento ABRAH. DE PAPE, JCTi, Lugd. Bat. 1694. 4. de qua Act. Erud. Lips. mense mart. 1694 Enchiridion de principiis Juris naturalis, Jenae, cum notis GOETZII, 1669. ibidemque cum annot. JO. GEO. SIMONIS, 1682. 12. Notas in idem scriptit JO. JAC. MULLER. Jenae 1696. 8. Hunc infelicis conatus libellum vocat BEYER. Spec. II. p. 5. qvoniam fratrī Hegonis, hac scientia inclareſcens, gloriam non bene aemulatus facerit. Omisit GROTHUS jus poenarum, foederum, & belli, nec fratrem ubique intellexit, qvem foepius describit. Vide tamen MORHO-*

FIUM, Polybist. T. III. Seß. I. p. 73. GROTI nostri *Jus Gentium* memorat WITTE, loco citato.

\*\*\* Anno 1690. mens. Aug. p. 409. seqq. Adde, quae de GROTI exhibent l'histoire des ouvrages des Scavans, mens. Mart. 1690. & MEIBOMIUS, in addit. ad VOGLERUM, p. 189.

### S. XV.

Inter biographos antiquorum JČtorum, qui STRUVIO \* citantur, agmen claudit GEO. CASPARUS KIRCHMAIERUS, oratoriae in Academia Vitembergensis Professor, ad annum 1700. clarus, cuius eruditionem vel BOECLERUS, CONRINGIUS, MAGLIABECHIUS, GRONOVIVS, GRAEVIVS, WITSIVS, aliique testantur. Vitam ejus scripsit ADOLPHVS CLARMUNDVS \*\*, quam in compendio exhibit JO. FR. BUDDEVVS \*\*\*. Licet igitur KIRCHMAIERVS, variis, quae vulgavit scriptis, † magnam nominis celebritatem sibi comparaverit, tamen, in his non conspicio, quem STRUVIUS citavit, ejusdem tractatum, *Elogia & elegantias latinorum JČtorum veterum*, ad ff. Wittebergae, 1687. 4. excusum. Vsurpavi quidem Elogia & elegantias latinitatis JČtorum veterum ad ff. Witteb, 1682. 4. quibus tamen non aeqve de elogis JČtorum, quam latinitate illorum judicavit. Rectius hinc novae bibliothecae Halensis collectores, hunc, cum aliis KIRCHMAIERI hoc de argumento, tractatum, elegantissimae CAROLI ANDREAE DUCKERI, opusculorum variorum de latinitate JČtorum veterum collectioni † subjunxerunt.

\* Bibl. Jur. p. 8.

\*\* Vir. clav. in re liter. vir. P. II. p. 260. seqq.

\*\*\* In Lexico, T. II. p. 256.

Conf.

† Conf. Kirchmaieriana Scripta arbitrio submissa viri nobil. reique  
literariae statoris celeberr. Dr. FRID. BENED. CARPZOVI,  
titulis delineata suis, Witteb. 1698. quo opusculo catalogus Kirch-  
maierianorum Scriptorum sistitur.

†† Prodit hoc nitidissimum scriptum Lugd. Bat. 1711. 8. & recensem-  
tur, bibl. nov. Hal T.II. P.XVII. p. 589.

## §. XVI.

His, quos STRUVIUS enumeravit, antiquorum  
JCTorum biographis, vel unicum \* subnectere placet,  
GEORG. EBERLINVM, V.J.D. suis temporibus famige-  
ratissimum. \*\* Ejus est de origine juris & omnium magistra-  
riuum & successione prudentium, explicatio, cui historica JCTo-  
rum, ab HADRIANO usque ad Imperatorem MAXIMINVM  
sovίxεια & luculenta eorum, quae ex eiusque libris excerpta,  
in Pandectas a TRIBONIANO relata sunt, ἀπόδεξεις accessit,  
Witteb. 1613. 4. In frontispicio depraedicatur opus novum  
& perpolitum, nec juris civilis tantum, sed humaniorum  
quoque literarum studiosis, cum utile, tum maxime neces-  
sarium. Totus hic Liber LIV. capitibus absolvitur. Agit  
autem de JCTis a p. 266. ad finem, & quidem c. 34. de succe-  
sione Prudentum, c. 35. de JCTis, qui consultoribus tantum va-  
carunt. c. 36. de JCTis, qui jura professi sunt. c. 37. de SEXTO  
AELIO, PUBL. AELIO & L. ACII. IO. c. 38. de MARCO  
PORCIO CATONE. c. 39. de P. MUCIO SCAEVOLA,  
BRUTO & M. MANILIO &c. &c. c. 40. de Q. MUTIO  
SCAEVOLA, SERVIO SULPICIO, illorumque auditoribus,  
C. TREBATIO & A. CASCELIO. c. 41. de TUBERONE,  
qui OFILIO operam dedit. c. 42. de JCTis sub AUGUSTO.

c. 43.

c. 43. sub TIBERIO. c. 44. sub C. CALIGULA floruerunt.  
 c. 45. sub OTHONE & VITELLIUS. c. 46. VESPASIANO.  
 c. 47. sub TRAJANO. c. 48. HADRIANO, c. 49. ANTONINO PIO. c. 50. M. ANTONINO PHILOSOPHO c. 51. SEPTIMIO SEVERO. c. 52. ALEXANDRO SEVERO.  
 c. 53. qui intra tempora SEVERI & MAXIMINI floruisse creduntur. c. 54. de JCTis, quorum hinc inde in ff. mentio injicitur. Placet mihi hic labor vel ex eo, quod ad fontes historiarum & Juris civilis non raro provocet, atque singula fere ex iisdem derivet. In vitis tamen tradendis per brevis est, nec ubique satis accuratus. Scripta ut plurimum, prolixus recenset, eorundemque fragmenta, ex Libris Juris, studiose indigitat. Numerus tamen allegatorum pene infinitus, totam fere paginam facit, ut hinc rectius Concordantias Juris, quam vitarum Scriptorem usurpare videaris.

\* Nec plane tamen praetermitto elegantissimum JANII VINCENTII GRAVINAE de origin. Jur. civ. tract. Lipsiae 1708. 410. excusum, qui p. 89. 4 §. XLVII. ad p. 129. §. CIII. de antiquis JCTis non minus eruditus ac diligenter differit. Plenius hunc laborem in alia de biographis recentiorum JCTorum, dissertatione, laudabo. Plures hoc referunt VOGLERUS, introd. c. VII. p. 41. seq. & ex eo REIMANNUS, Einleitung, p. 274 seq. Sunt autem BERNARD. GASNERUS, Uticensis JCTus, in nomenclatura Dd. in utroque jure passim citatorum, Aug. Vindel. 1543. 4. qui tamen ad biographos spectare mihi non videtur. FELIX CONTELORIUS, autor indicis legalis auctiorum materiarum Juris ex professo tractantium, qui in collectan. AUG. BARBOSAE in Decreta Gratiani, Lugd. 1637. f. T.V. reperitur, rectius a LIPENIO inter Catalogorum scriptores numeratur. FRANCISCI FLORIDI SABINI de iuris civilis interpretationibus liber, qui inter ejus opera junctum, Basili. 1540. f. edita legi-

legitur, de quo LABBEUS, *bibl. bibl. p. 89.* judicat, quod id unum moliatur, ut interpretum juris Caefarei errata à LAURENTIO VALLENSI deprehensa ac refutata, referat ac adversus ALCIATI, ZASIIQVE responsiones dispellat atque rejicit. Pauca praestitit in suo, quem reliquit, *Elencho omnium Scriptorum, qui in jure floruerunt, Francof. 1574. 1579. & 1585. 4.* JO. WOLFG. FREYMONIUS, cum praeter nomina, paucissima eorundem monumenta deprehendes. Cujusmodi farinæ esse puto JO. BAPT. ZILETTI *Elenchum omnium autorum seu scriptorum in Jure, iterum iterumqve excusum, quem pariter tractationi de bibliothecarum scriptoribus reservo.*

\* \* Imago hujus EBERLINI, *æxes* hac circumscriptione, in Biblioteca Julia habetur:

*En EBERLINUM tibi, qui dum praetulit auro*

*Jusque fidemqve & opum noluit esse cliens;*

*Munera non cepit, quamvis oblate frequenter;*

*Unde est, effigies quod careat manibus.*

Conf. quae de Bibliotheca ejus, quam AcademiaeJuliae legavit,  
exhibit VOGLERUS, *introd. in not. Script. c. VII. p. 43.*

### §. XVII.

Sunt tamen qui quorundam saltim antiquorum JCTorum vitas ex instituto consignarunt. Taceo JO. CHIFLETII tract. de Juris utriusque Architectis, JUSTINIANO, TRIBONIANO, GRATIANO & S. RAYMUNDO, Antwerp. 1651. 4. Vita AEMILII PAPINIANI, per FR. BALDINUUM scripta, Heidellb 1561. 8. cum aliis ejusdem opusculis, per JAC. LECTIUM, Gen. 1591. 8. per PETR. HEIGUM, Wittebergae, & MATH. WESENBEKIUM, in exemplis Juris prudentiae, Lips. 1584. 8. p. 9 seqq. prodit. JULII PAULI, JCTi, vitam anno 1566. excusam, exaravit NIC. RITTERS.

D

HVSIVS.

HVSIVS. Vitam LUCII TITII ex Pandectarum Libris edidit PAPIRIVS MASSONVS. Maxime huc spectat NIC. HERONIMI GUNDLINGII *Schediasma critico-juridicum*, quo C. TREBATIUS TESTA JCtus, ab injuriis tam veterum, quam recentiorum auctorum liberatur, Halae 1710. 4.

\* Recenset illud *bibl. nov.* Hal. T. I. p. 661--671. qvam haud gravatim evolvas.

### §. XIX.

Antiquorum denique JCtorum historiam scribere quidam animum induxerunt, qui tamen vel morte praeventi, vel aliis impediti negotiis, nihil praestiterunt. Qvos inter AEGDIIUM MENAGIUM, magnum Galliae decus, \* repono, qui *historiam veterum JCtorum*, editis longe locupletiorem & grande opus, promisit \*\*. Nec aliud testantur multifaria ejus, qvae orbi reliquit eruditio, eruditionis testimonia. Verum, inter adversa rei literariae fata numero, quod hoc & *Commentarium in tit. ff. de O. J.* quem aequve, teste DOUJATIO † meditabatur, morte abruptus, absolvere non potuerit. *Historiam JCtorum & interpretum a V. CL. CHRIST ANO THOMASIO* promissam, ‡ literarius orbis avide expectat.

\* Conf. *elogia*, CAROLI ANNIB. FABROTI, & aliorum, premissa *Amoenitatibus Juris MENAGII*. *Vitam prolixè tradunt BAYLE, Diction. p. 580. Lit. M. TERRAULT des hommes illustres, P. II p. 145. TENTZELIUS, in colloq. menslr. ann. 1692. p 734. seqq. & JO. FR. BUDDEUS, in Lexico.*

\*\* in dedicatione ad LUDOV. NUBLAEUM, *advocatum Parisien-*

ſenſem, qvæ praemititur Amoenit. Juris, qvod opus in MSS.  
apud Gallos dclitescit. conf. MENAGIANA T.I. p. 424. &  
*Memoires de la Vie de Mr. Menage T.II.*

\*\*\* Eminent Amoenitates Juris civilis, Paris, 1664. 1677. 8. Lips, 1680.  
Franco, 1700. 8. excusae, qvas recensent *Journal des Savans*,  
ann. 1665. mens. Febr. Acta Erudit. Lips. & BEYER. Spec. III. p. 93.  
ſeq. in qvibus neqve in scholis decantata, neq; in Commentariis  
protitra, deprehendo. Certe de TUSCIANO, MAECIA-  
NO, LIC NIO RUFINIO, HERMOGENIANO, TER-  
TULLIANO, TREBATIO, PEGASO, SEXTO CAE-  
CILIO, SALVIO JULIANO, CAMPANO, utroqve CA-  
JO, & aliis J. C. qvaedam non vulgaria, tradit. Reliqua Me-  
naggi Scripta enumerat TENTZELIUS, l.c. p. 740. seq.

† *Historia Jur. civil. Rom. c. I.*

†† prafat. der kleinen Teutschen Schriften, Halae, 1707. 8.

T A N T U M!

S. D. G.



VALERIUS MAXIMUS

*Lib. IV. c. 3.*

Exultat animus, maximorum  
virorum memoriam per-  
currens.

Königsberg, Diss.) 1774/13





B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta


Red

Yellow

Green

Cyan

Blue



1714, 3<sup>a</sup>  
3/1  
158

Q. D. B. V.

DE

# BIOGRAPHIS ANTIqvORUM JCTORUM,

MAGNIFICI JCTORVM ORDINIS  
CONSENSV,

DISSERENT

JO. GOTTLIEB OLEARIVS,

Phil. & J. U. D.

ERN. BOGVSLAVS CHARISIVS,  
Reg. Boruss.

H. L. Q. C.

Ad d. Febr. M D C C X I V.

---

REGIOMONTI, Literis REUSNERIANIS.